DE CALORE IN MORBO.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE ASSEQUENDOS

SCRIPSIT ATQUE UNA CUM THESIBUS

DIE XXII. MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCXLIX

PUBLICE DEFENDET

IOANNES PETRUS SCHMITZ

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

C. HEIMBACH, MED. ET CHIRURG. CAND.
G. ROELEN, MED. ET CHIR. DD.
H. WEBER, MED. ET CHIR. DR. PRACT.

BONNAE,

FORMIS F. P. LECHNERI.

MDCCCXLIX.

VIRO ILLUSTRISSIMO

FRIDERICO NASSE,

MED. CHIR. ET PHILOSOPH. DOCTORI, REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORI PUBL. ORD., DIRECTORI CLINICI MEDICI BONNENSIS, SOCIET. LITTER. COMPLUR. SODALI, EQUITI ETC. ETC.

PRAECEPTORI MERITISSIMO, DILECTISSIMO

SUMMEQUE VENERANDO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

UT SUMMAE PIETATIS ET GRATIAE SIGNUM

SACRAS ESSE VULT

AUCTOR.

DE CALORE IN MORBO.

Omnibus quidem temporibus fuit, in primis autem nostra aetate commune est hominum vitium quodque vix unquam ac ne vix quidem radicitus exstingui poterit, quod vires fere semper maiores ducunt, quam revera sunt. Ex quo quidem vitio quamvis omnes res summum capere detrimentum consentaneum sit, tamen longe evidentissime illa incommoda apparent in litteris tractandis. Libri enim conscribuntur in lucemque prodeunt, quorum tituli magnum quid ac grave nos exspectare cogunt, qui tamen eam ipsam ob causam, quod iusto maiora gravioraque habent argumenta, ne aliquid quidem litteris afferunt utilitatis. Litterarum enim campus tam late patet, ut mirum videri possit, si quis, ne dicam totum illum campum, sed maiorem tantum partem ita percurrere et perlustrare instituerit, ut omnia obvia penitus investigaret intelligeretque. Itaque quicunque veram litteris utilitatem afferre posterisque grati quid facere voluerit, omne suum studium in una tantum litterarum parte eaque haud iusto maiore perscrutanda collocet necesse est, ne forte quando videat, praeter suos neminem legere libros suos. Quare quoniam a maioribus sic institutum est, ut, quicunque doctoris gradum assecuturus fuerit, maiorem aliqua de re conscribat

disputationem seu dissertationem, et ego quoque doctoris dignitates, iura, privilegia in me conferri nunc summo opere exopto: suadente nec non adiuvante dilectissimo et clarissimo praeceptore Nasse de calore vitali, qualis in singulis morbis apparere soleat, quam paucissimis disrerere institui. Quam quidem rem, ne quis quae sit disquisitionis meae ratio, qui ordo, ignoret, ita instituam, ut primum de calore vitali in universum disputem, deinde quae hucusque hac de re scripta vel dicta exstant breviter attingam, denique enumeratis mensionibus observationibusque, quas ipse feci, demonstrare studeam, quae et quanta sit utilitas, quam inde capere possit physiologia, pathologia, therapia. Qua quidem in re et gravissima certe et in quam accuratissime medici inquirant dignissima, nec non a viris et doctissimis et magna naturae scientia ad tales disquisitiones maxime idoneis variis hunc usque ad diem modis tractata, me nec velle nec posse ita versari, ut iam nihil aut explicandum aut inveniendum reliquum fiat: vix erit cur moneam. Id unum tantum assecuturus fui, ut novis mensionibus atque observationibus faciendis aut confirmarem, quae de re hodie traduntur, aut locupletarem, aut, si forte, quae ego observavi, cum aliorum observationibus pugnarent, ad iterandas curas incitarem. Dixerit fortasse quispiam, operae pretium non esse, observationes a viris clarissimis quibusque summa sit habenda fides institutas novis quibusdam confirmari; at audi, quae hac de re ipse Roger, qui praestantissimas de calore vitali fecit observationes, dicit:

«Dans un travail de ce genre les recherches appellent les recherches, les résultats fournis par les expériences exigent le contrôle d'expériences nouvelles et plus nombreuses». Roger Arch. génèr t. 9. pg. 262.

Currie bene intelligens, multis nudam experimentorum enumerationem minus gravem, et quam quis persequatur minus dignam videri posse, quam disputationes, quas vocant, theoreticas, aliquo loco «Caveant, inquit, qui pro ua credulitate et levitate experimenta ab aliis facta non digna habent, quae inspiciant, omnibusque in rebus iurare solent in verba magistri, ne singula, quamvis parva, experimenta prorsus supervacanea et praetermittenda ducant«. Itaque nos, qui exspectare nec volumus nec possumus, omnia a nobis proposita ab omnibus creditum iri, quemadmodum clarorum virorum dictis fides haberi solet: benevolum lectorem rogamus atque obsecramus, ne de iis, quae deinceps propondituri sumus, iudicium ferat, nisi prius ea qua par est diligentia mensiones et observationes a nobis factas inspexerit atque examinaverit.

Atque omnes, quicunque librum aliquem publici iuris facturi sunt de re quamvis levi et nota, tamen nihil antiquius habere solent, quam ut benevolis lectoribus persuadeant, res quanti sit momenti quantisque difficultatibus quasi obruta; nec non saepe vehementissime se dolere fatentur, quod de materia, quam sibi sumpserint, sane gravissima nihil adhuc scriptum exstet, quod sit memoratu dignum. In quorum partes equidem discedere nec volo, nec debeo, quum viri multi adhuc iique doctissimi deque litteris praeclarissime meriti ante me de nostra materia non multa solum sed etiam omni ex parte probabilia et proposuerint et docuerint. Attamen quum more sit receptum, et iuvenili aetati lubenter concedatur, ut, quanti sit momenti res, de qua scribere propositum sit, gravibus verbis lectori indicetur, ego quoque nunc primum ostensurus sum:

Quanti sit momenti exploratio et accurata caloris vitalis scientia in universum.

Calor vitalis tam arcte cohaeret cum vita et valetudine, ut absque dubio omnes, in primis autem medici practici summum esse operae pretium intelligant necesse sit, explorare, qualis sit caloris vitalis natura et conditio, et quomodo rebus externis afficiatur, varietur, mutetur. Sed non commodis solum, quae ex tali vitae caloris exploratione nobis contingunt, moveri debemus, ut hanc in rem quam accuratissime inquiramus, sed etiam et multo magis quidem ipso litterarum amore. Praeclarum hac de re est dictum chemici cuiusdam nostratis, quod in adnotatione addam eo, quo ipse scripsit, sermone, ne forte latina interpretatione verborum sententia obscurior fiat [1]).

Sed quantam vim habeat calor vitalis ad vitam valetudinemque servandam tuendamque in primis ex sententia Currie, qui hac de re docte copioseque disseruit multasque ipse observationes et experimenta instituit, inde luculentissime apparet, quod alicubi contendere non dubitat, si vitae notio definienda sit, optime dici posse: «vitam eam esse facultatem, qua omne animal calorem

1) Wir kennen bei unsern gewöhnlichen Uhren mit mathematishher Schärfe die Aenderungen, welche durch die Länge des Pendels oder durch äussere Temperaturen ausgeübt werden auf ihren regelmässigen Gang; allein nur von wenigen ist in seiner Klarheit der Einfluss erkannt, den die Luft und Temperatur auf den Gesundheitszustand des menschlichen Körpers ausüben; und doch ist die Ausmittelung der Bedingungen, um ihn im normalen Zustand zu erhalten, nicht schwieriger, als bei einer gewöhnliehen Uhr. Liebig, Chem. Briefe.

sui proprium sub diversissimis gradibus caloris eius medii, in quo vivat, retinere et servare possit»; et alio loco profert: «quamdiu naturalis corporis humani calor idem maneat, valetudinem corrumpi non posse eo, quod hac vel illa ratione mutetur calor medii hominem circumdantis; contra si adaugeatur aut deminuatur naturalis hominis calor morbum existere, atque etiam mortem posse adduci».

Calor vitalis in corpore humano inprimis dignus est quem metiaris, si medii calor prorsus discrepat ab illo, in frigore magno, dico, aut in magna aestate. Caloris vitalis gradus semper idem manet, id quod quam dignum sit, quod teneatur, dici vix potest. Nam quum adaucto vel deminuto aëris circumdati calore calor corporis non mutetur sed idem maneat, adaucto autem aëris calore corpus nihil aut certe non multum caloris dimittat, deminuto vero calore aëris multum caloris demittat necesse sit: necessario consequitur, quoniam, ut supra iam dictum est, corporis calor idem manet, a corpore deminuto aëris calore maiorem calorem gigni. Iam quaestio exoritur, quibus rebus quibusque substantiis haec caloris adauctio fiat.

Quam quidem quaestionem quo facilius rectiusque solvere possis, hoc potissimum reputes velim: tempore hiberno et in frigore plus oxygenii inspiramus quam aestate et nimio calore pressi. Illud autem oxygenium et aestate et hieme simili ratione mutatum rursus remittimus; deminuto calore plus acidi carbonacei exspiramus, quam adaucto, et in cibis eodem modo principii carbonacei plus vel minus insit necesse est, in Suetia plus quam in Sicilia, nostris terris hieme plus quam aestate. Infinita quadam sapientia factum est, ut in his terrae partibus plus, in illis

minus principii carbonacei in cibis insit. Fruges australes non plus quam 12% princ. carb. continent, lardum vero et oleum iecoris aselli, quibus uti solent, qui regiones septentrionales tenent, 66—80%. Quare calidis regionibus hominem facile temperanter vivere aut per longum tempus famem ferre posse, minime mirum est, sed frigore fameque corpus brevi corrumpitur.

Ciborum igitur fruendorum copia modificatur numero et altitudine spiritus ducendi, calore aëris, quem inspiramus et caloris maiore vel minore copia, quam dimittimus. Neque tamen ullo modo in corpore humano calor vitalis his omnibus momentis mutatur; id quod ante omnia alia tenendum est. Iam quispiam ex iis, quae modo dixi, colligere posse sibi videatur, me in hac esse sententia: calorem corporis humani tantummodo aut certe magna ex parte inde exoriri, quod acidum carbonicum et hydrogenium cum oxygenio intra corporis organismum coniungatur. Sed hac de re alio loco plura; hoc unum tantum dicere iuvat, omnia ea id probare posse: colorem fieri combustione, nervorum affectibus, et simul utroque. Sed quamvis magna sit utilitas, quam caloris mensiones in statu normali factae physiologiae afferat, tamen vix ac ne vix quidem conferri potest cum iis utilitatibus, quas

Caloris mensiones factae in hominibus morbo aliquo affectis

et litteris universis, in primis autem medico practico parant maximas. Si contendo, caloris mensiones in statu pathologico non solum ipsam pathologiam reddere perfectiorem et therapiam, sed posse etiam contemplanda

ratione, qua calor fiat, siquidem ea non normalis est ratio, multa inveniri, unde pro certo possit colligi, quae sit normalis ratio: nescio an chemici et nonnulli physiologi contra dicant, combustionem illam, quam ipsi optime cognoverint, cuiusque naturam et rationem ipsi evidentissime commonstraverint, unicum esse fontem, unde calor exoriri possit, neque egere physiologiam pathologiae subsidiis adminiculisque, quum hac re nihil sit certius, nihil apertius. Sed ipsa contemplatio commutationum caloris, quales exsistere solent in hominibus morbo affectis, satis superque evincit, nihilominus multa restare iusto obscuriora, quae alio modo rectam explicationem evenire necesse sit. Quo accedit, quod ex eadem contemplatione caloris, qualis singulis in morbis apparere solet, iam per se colligere quasi cogimur, fieri non posse, ut ea de calore procreando sententia unice recta sit, ex qua in rebus anorganicis multi fontes caloris, in organicis autem unus tantum fons existere putandus sit.

Sed quod in calorem vitalem, qualis in singulis morbis mutatus videtur, in rationem naturamque eius et mutationis causam huc usque pathologice parum inquisiverunt viri docti, eo potissimum factum esse videtur, quod plerisque sententia eorum probata fuit, qui singulas in singulis morbis caloris permutationes idcirco non egere censerent singulari contemplatione, quia eandem habeant originem ac alia symptomata, quae in morbis videantur. Sed id prorsus falsum mihi esse videtur; nam etiamsi dolor, rubor, tumor, functionum perturbatio cum adaucto calore ad eandem telam pertineant, tamen illi alio modo quam hic exsistunt. Deinde haud raro fit, ut praeter mutatam caloris rationem nullum aliud morbi signum appareat. Sic clarissimus Boerhave in eo peccavit, quod caloris rationem, in febri ob-

viam, ut quae non nisi ut symptoma effectus quosdam haberet, prorsus negligi posse censuit.

Non parvi momenti sunt caloris in singulis morbis mensiones, si id agat necesse est medicus, ut rectam sibi faciat prognosin. Et quidem in universum res sic se habet: quo magis adauctus est corporis calor, eo periculosior est morbus, ita ut caute agere cogamur in prognosi facienda. Id primus, nisi egregie fallor, vidit Roger qui: «l'élèvation, inquit, de la temperature est en raison de la gravité de la rougeole, puisque le maximum 40° fut observé chez un malade qui mourut; et, chez l'autre enfant qui succomba aussi, le thermometre marqua 30° Arch. génèr. t. 6. pg. 145.

Quod Roger in rubeolis id ipse in scarlatina observavi: in uno libero thermometrum ostendit 32, 25°; altius nunquam ascendit, et mors subsecuta est.

Quanti autem momenti caloris mensiones in curandis morbis et possint esse et debeant, postremo dissertationis capite demonstrare conabor, quo magis quisque sibi persuasum habeat, caloris in morbis permutationes nullo pacto esse negligendas.

Quid huc usque constet de calore vitali.

Calorem vitalem, sedem causamque eius omnium aetatum philosophis uberrimam et meditatione studioque dignissimam praebuisse materiam sane consentaneum est. Cuius vero plus interesse poterat cognoscere, quae sit caloris natura et vis, quibus causis aut moveatur aut augeatur aut diminuatur, quam attenti medici? Id quod facillime perspiciet, qui cognitum habeat, aegrotos haud raro querelas

facere non nisi de adaucto aut diminuto calore. Primum autem, qui subtiliorem hac de re instituit disquisitionem ostenditque, quanti momenti ea sit, aut certe esse debeat medico practico, fuisse inter omnes fere constat Dr. Franklin (Franklin Letters and Papers pg. 365.). Sed sub finem demum superioris saeculi mensiones et observationes de calore corporis humani crebriora fiunt, et quae inde concludebantur memoratu dignissima. Neque physiologi tantum summo cum studio summaque diligentia in hac re inquirenda versabantur, sed etiam physicorum, quos vocant, et chemicorum alii alia ratione et via anquirebant; qua quidem ratione, quum vires diversissimae essent conjunctae, fieri non potuit, quin quaestio illa facilius solveretur. Itaque omnia animalium genera anxie observabantur, non homines solum, sed etiam plantae. In omnia ad calorem vitalem explorandum inquirebatur; quibus quidem experimentis omnibus id efficiebatur, plantis, insectis, crustaceis, molluscis, reptilibus, piscibus, mammalibus, quocunque medio circumdentur, facultatem inesse caloris procreandi. Iam prima, quae exoriebatur, quaestio haec erat: Idemne ubique sit calor vitalis et in extremis corporis partibus et in interioribus organis. Qui hanc in rem sat accurate et diligenter inquisiverunt Dary, Breschet, Bequerel, id effecerunt, calorem adaugeri quo magis appropinquaveris ad organa respiratoria.

Quid aetas, climata, anni tempora efficerent ad calorem hominis commutandum, quum a multis et anquireretur et observaretur brevi inprimis experimentis observationibusque, qualia instituit Fordyce, Blayden, Delaroche, id evincebatur, hominem vitam degere posse sub calore et multo maiori et multo minori, quam suo.

Nec minus ingenia virorum doctorum exercuerunt

causa et sedes caloris vitalis. Inde a Platone usque ad hodiernum diem fere omnes physiologi huius quaestionis difficultates quoquo modó solvere alii aliis modis conati sunt, Vitalisti, quos vocant, chemici veteres, iatromechanici omnes pro suo quisque studio ingenioque hac de re iudicarunt, omnesque verum invenisse sibi visi sunt. Sic etiam recentioris aetatis chemici, qui superbientes omniaque audacter reiicientes pro certo affirmant, se solos recte videre posse et vidisse, quae sit vera caloris vitalis et ratio et conditio. Larvisier demonstrasse sibi videtur, calorem vitalem non nisi combustione in interioribus organis, facta effici. Haec explicandi ratio confirmata deinceps experimentis atque observationibus Dulong, Despretz, hodieque chemicos et physiologos occupat. In Franco-Gallia Dumas in Germania Liebig multas de iis ciborum substantiis disquisitiones fecerunt, quae combustioni inservirent, ita ut ostendere conarentur, ciborum alios opus esse ad nutriendum, alios vero nonnisi eam ob causam sumi, quibus combustio, in interioribus organis fieri solita, fieri possit. Sed tamen plura sunt, eaque gravissima, quae huic explicandi rationi adversentur, et observationes experimentaque a Chossat, Brodie instituta, praeterea quae docte copioseque hac de re disseruit Nasse v. cl., satis superque coarguunt, nervorum centra minimi non esse momenti ad caloris vitalis procreationem.

Multa facta sunt et studia et mensiones a de Haen, Hunter, sed tamen inde paene nihil pro certo poterat affirmari de natura et vi caloris vitalis. A. 1834 collecta sunt omnia hac de re scripta et disputata a professore Bérard. Sed haud ita multo post disquisitiones et observationes, quales instituerunt Bouillard, Donné, Andral, Gavaret, Roger, Nasse, multa eaque nova attulerunt,

quibus quaestio illa difficillima, haud scio an brevi, penitus dissolvatur. Illorum virorum studia multum lucis diffuderunt per hunc sane obscurum litterarum campum. Omnia ab illis viris disputata et observata, ea, qua par est, diligentia collegerunt Fleury et Moneret in compendio suo. Quae docte copioseque hac de re disseruit Fr. Nasse, Bonnensis, leguntur Rhein. Monatschr. 1849. Chirurgicorum studia multo minus ad difficultates illas solvendas hucusque fecerunt. Paene nihil, nisi forte Hunter exceperis, memoratu dignum inveni de caloris vitalis commutationibus, quales quin praecipue operationibus maioribus institutis plerumque apparere soleant, dubitari vix ac ne vix quidem potest. Recentissimis demum nostris temporibus Démarquay, quae manca adhuc erant, experimentis in animalibus factis explere conatus est. Quae strenue et diligenter disseruit, vide recherches expérimentales sur la température animale Paris 1847.

Postremo Augustus Gierse memoratu valde dignus est, qui in dissertatione inaugurali: «quaenam sit ratio caloris organici partium inflamatione laborantium, febrium, vaginae in feminis menstruis et non menstruis, hominis dormientis et non dormientis et denique plantarum investigatur experimentis ab aliis et a memet ipso institutis» observationes experimentaque enarravit eaque gravissima et quae omnibus innotescant dignissima.

MENSIONUM MEARUM ORDO.

Etiamsi capite superiore enumeratis disputationibus et dissertationibus de calore organico, et observationibus et experimentis tum in conditione sana tum pathologica factis multa lux est diffusa per campum litterarum gravissimum, tamen multa adhuc sunt obscuriora, multique sunt morbi, quorum calor nondum mensus, multi, in quibus caloris mensiones a singulis factae atque observatae in diversissimas abeunt partes; quam ob rem et novae mensiones faciendae, aliae repetendae videntur.

Observationes igitur et experimenta a me facta in hac dissertatione ita disponam, ut primum enumerem mensiones, quas institui in partibus corporis humani ex cerebro aut medulla spinali paralyticis; tum mensiones, quas feci in morbis cutis, quos vocant; tum mensiones in inflammatione et aliis morbis organorum internorum; et postremo nonnullas caloris mensuras enumerabo, quas et in hominibus et in animalibus institui, quum illis medicamenta data essent.

METHODUS METIENDI.

Quum nemo quae enarrabuntur capite sequente observationes et mensiones neque iudicare neque intelligere possit, nisi methodum metiendi cognoverit, addam quaedam de locis ad metiendum calorem aptis et de methodo metiendi.

Omnis corporis superficies continue calorem aëri et rebus corpori propinquis impertit, caloris radios emittit. Itaque si thermometro calorem superficiei corporis metiaris, hydrargyrum thermometri eo altius ascendit, quo pluribus punctis superficiei radios caloris emittentis tangitur. Quare hydrargyrum thermometri altius ascendit, si globulus, brachio superiore corpori admoto, in foveam axillarem infertur, quam si in superficiem corporis planam inprimitur. Deinde calor organicus partis alicuius eo accuratius observatur, quo minorem vim calor aëris et rerum corpori propinquarum in globulum thermometri exercet. Quare partes ad metiendum calorem aptae hae sunt: fovea axillaris, plica cubiti brachio anteriore flexo, fovea poplitaca crure flexo, cavum oris sub lingua, intestinum rectum, vagina.

Foveam axillarem ad corporis humani colorem metiendum et aptissimam esse, et eiusdem calorem re vera verum calorem corporis humani indicare Roger et censet et experimentis demonstravit. Quae de hac re dicit, haec sunt: »Des experiences, faites deux heures après la mort, nous ont démontré, que le chiffre fourni par le creux axillaire représente à peu pres la température des viscères intérieurs, où la caloricité est à son summum.

Il s'ensuit que l'aiselle, en raison de sa chaleur plus forte et moins variable, est la région qui doit être préférée pour l'étude de la température générale du corps; elle convient également le mieux et pour le médecin et pour le malade.« Rog. Arch. g. t. 9.

Exactae observationes caloris organici in superficiebus planis institui fere non possunt propter eas, quas supra nominavi, causas; quam ob rem Nasse, vir clarissimus, cuiusque ingenium quale quantumque sit inter eos, qui norunt eum, satis superque constat, thermometrum in usum clinici nostri medici faciendum curavit, cuius pars infima hemisphaerium format; magna subconcava planitie hemisphaerii thermometrum pluria puncta cutis tangere potest.

Quod ad tempus attinet, per quod thermometro partem metiendam tetegi, has regulas secutus sum:

1) In fovea axillari thermometrum applicavi per 10 sexagesimas horae partes; in iis omnibus casibus, ubi thermometrum longius 15, 20, 25 sexag. h. p. applicavi, fluctuationes hydrargyri minimi momenti erant.

2) In plica cubiti brachio anteriore flexo per 15 sexages.

3) In manu ad pugnum compressa per 20 sexag.

4) In iis casibus, ubi vulnere facto calorem cavi abdominis intra viscera mensus sum, per 5 sexag.

5) In iis casibus, ubi calorem in ano mensus sum, intellexi, quo profundius globulum thermometri immitteretur, eo altius hydrargyrum ascendere; ubi tamen globulus digitum unum impressus fuit, hydrargyrum non altius ascendebat, qua ex causa globulum semper digitum unum impressi.

6) Thermometro a viro cl. N. invento supra descripto semper per horam dimidiam partem metiendam te-

tigi, post hoc tempus fluctuationes hxdrargyri non amplius observavi.

In mensionibus a me factis thermometro a viro cl. Reaumur invento quodque clinici nostri est medici, usus sum. Hoc thermometrum cum thermometro normali, quod vocant, comparavi atque composui.

MENSIONES.

Mensio I.

Mathias Hoffmann, Breibachiensis, 34 a natus. Pater et frater et fratris filius haemorrhoici sunt. Aegrotus ipse nullo se per totam vitam morbo affectum fuisse affirmat; primo autem pubertatis tempore sanguinis se e naribus fluxum habuisse, tantamque interdum sunguinis copiam amisisse, ut in vase viginti unciarum vix contineri posset. Iam vero quum ex duobus annis nullam sanguinis evacuationem habuisset ante tres annos vernali tempore subito extremitatum debilitatem, postea levem formicationem sensit, quae paulatim ita crevit, ut primum brachia, deinde pedes et femora nonnisi magna opera movere posset. Mox lecto affixus iacere debebat, quo factum est; ut decubitus exsisteret. Paulatim paralysis vesicam urinariam et intest. rectum affecit.

Diagnosis: effusio sanguinis in canalem spinalem, inter medullam spinalem et meninges medullae spinalis.

Quo die	Quota hora	Quam diu	In qua corporis parte	Calor	
s i t	o b s e r	v a t u m.		aëris atmosphaerici.	partis, de qua quaeritur.
Mai 31.	3,30 post mer.	15 sexag.	fovea axillaris lateris dextri.	20	28,50°
	3,45 p. m.	15	plica cubiti antibrachio dextro flexo.	—	28,33°
	4 p. m.	15	vola manus dextra	—	28,20°
	4,15 p. m.	15	poplitaea dextra.	19,80	27,80°
	4,30 p. m.	15	spatium inter pollicem digit. sec. pedis dextri.	19,60	27,50°

Haud ita multo post omnia aegritudinis symptomata augentur; gangraena ex decubitu maior fit, sensus in extremitatibus magis evanuit, extremitates minus moveri possunt.

Iuni 13	2,20 p. m.	15 sexag.	fovea axil. lat. d.	18	28,33°
	2,35 p. m.	15	plic. cub. l. d.	—	26,50°
	2,50 p. m	15	vola manus dextr.	—	26,00°
	3,10 p. m.	15	poplit. dextr.	—	25,50°
	3,25 p. m	15	spatium int. pol. et dig. sec.	—	24,33°

Paulatim aegrotus melius se habet, gangraena sanescit, extremitates facilius moveri possunt.

Iul. 7.	2,20p.m.	15	fove. axil. l. d.	21	29,33°
	2,35 —	—	plic. cubit. l d.	—	28,50°
	2,50 —	—	vol. man. dextr.	—	28,50°
	3,5 —	—	poplit dextr.	—	28,70°
	3,20 —	—	spatium inter pol. et dig. sec.	—	28,00°

Symptomata aegritudinis denuo adaucta.

Aug. 3.	2,15 p.m.	15	fove. axil. l. d.	19	29,33°
	2,30 —	—	plic. cub.	—	28,50°
	2,45 —	—	poplit. dextr.	—	28,80°

Mensio II.

Agnes Hubenhauer, Bonnensis, 17 a. nata, fertur mox post partum epilepsia laborasse. Accessiones epilepticae per mensem bis apparere solitae erant. Extremitas dextra inferior inde a prima, iuventute ex parte clauda facta. Ante mensem unum aegrota subito in parte capitis sinistra dolorem vehementem sentiebat eodemque tempore paralysis incompleta brachii dextri apparebat, quae paralysis ex nonnullis diebus completa est; paralysis femoris et cruris dextri non adaugebatur. Menses adhuc non fluxerunt.

Quo die	Quota hora	Quam diu	In qua corporis parte	Calor	
s i t	o b s e r	v a t	u m.	aëris atmosphaerici.	partis, de qua quaeritur.
Apr. 8.	11,30 a.m	10	fov. axil. dextr.	15,30	29,30°
—	11,40 —	10	— — sinistr.	—	29,40°
—	11,50 —	15	plica cubiti antibrachio flexo lateris aegroti.	—	21,70°
—	12,5 —	—	plic. cub. antibr flex. lat. sani	—	28,50°
Apr. 12	11 —	10	fov. axil. dextr.	16	29,50°
—	11,10 —	10	— — sinist.	—	29,40°
—	11,20 —	15	fov. poplit. sinist.	—	29,00°
—	11,35 —	—	fov. poplit. dextr.	—	27,30°
Apr. 15.	2,20 p.m.	—	plic. cubit. dextr. antibr. flexo	16,30	23,70°
—	2,35 —	—	plic. cubit. sinist. antibr. flexo	—	29,70°
Apr. 20.	11,30 a.m.	—	plica cubit. dextr. antibr. flexo	16,25	21,70°

Mensio I.

Adelheid Auding, 22 a. nata. In prima infantia scarlatina, cuius finis anasarca. Semper scrofulosi laboravit et qunquam bona valetudine gaudebat. Ante sex menses apparebat dolor in parte capitis sinistra, et haud ita multo post subito paralysis brachii sinistri et femoris

et cruris sinistri. Paralysis brachii evanuit, femoris et brachii mansit. Aegrota nunc symptomatis hysteriae vexatur.

Quo die	Quota hora	Quam diu	In qua corporis parte	Calor	
sit	observatum.			aëris atmosphaerici.	partis, de qua quaeritur.
Oct. 20.	4,17 p.m.	10	fov. axil. lat. d.	16	28,25°
—	4,30 —	10	fov. axil. lat. sin.	—	28,15°
—	4,40 —	15	poplit. dextr.	—	28,10°
—	4,55 —	15	— sin.	—	28,10°
Nov. 9.	5,45 —	10	fov. axil. lat. d.	16,50	28,50°
—	5,55 —	10	— — — sin.	—	28,50°
—	6,5 —	15	popl. dextra	—	28,00°
—	6,20 —	15	— sin.	—	28,00°

Mensio IV.

Louise Baumann, Crefeldiensis, 24 a. nata. Fluxus mensium demum vigesimo aetatis anno medicamentis excitari poterat. Sed haud ita multo post dolor in capite et sensus formicationis et debilitas in extremitatibus inferioribus apparebant. Paullatim eodem modo brachium dextrum afficiebatur, et spasmi clonici dextrae faciei partis se ostendebant.

Conditio praesens: Aegrota querelas facit de dolore premente in vertice, de sensu formicationis et debilitate extremitatum inferiorum praecipue femoris et cruris dextri et de debilitate brachii dextri. Spasmi clonici partis faciei dextrae frequentes adsunt.

Diagnosis: tumor in cerebro vel ad cerebrum.

Iul. 20.	2 p.m.	10	fov. axil. l. d.	18,00	28°
—	2,10 —	—	— — l. s.	—	28,25°
—	2,20 —	15	plic. cubit. l d. antibr. flexo	—	27,50°
—	2,35 —	—	pl. cub. l. s. antibr. flexo	—	28°
—	2,50 —	—	fov. poplit. l. d.	—	26,70°
—	3,5 —	—	— — l. s.	—	27,50°
Aug. 13.	3,18 —	10	— axil. l. s.	17,50	28,33°
—	3,30 —	—	— — l. s.	—	28,50°
—	3,40 —	15	— poplit. l. d.	—	26,50°
—	3,55 —	—	— — l. s.	—	28,00°

Mensio V.

Marianna Breuer, Rheinbreibachiensis, 36 a. nata, ante decem menses apoplexia afficiebatur. Ex quo obliquitas partis faciei sinistrae et paralysis brachii sinistri.

Quo die	Quota hora	Quam diu	In qua corporis parte	Calor	
sit observatum.				aëris atmosphaerici.	partis, de qua quaeritur.
Nov. 7.	11,30 a.m.	10	fov. axil. l. d.	15,33°	28,25°
	11,40 —	—	— — l. s.	—	27,00°
	11,50 —	15	plic. cub. l. d. antibr. flexo	—	28,10°
	12,5 —	—	pl. cub. l. s.	—	23,33°
	12,20 —	—	vola manus dextr.	—	28,00°
	12,35 —	—	— — sin.	—	19,20°

Mensio VI.

Ioannes Petrus Günster, 26 a. natus, Oberguntershausenius, laborabat iam per anni spatium chorea S. Viti. Ultimam caloris mensuram in eo sanato feci.

Iun. 14.	2,26 p.m.	15	fovea axil.	19,70	29,40°
Iul. 10.	2,30 —	10	—	18,50	29,25°
— 25.	2,10 —	15	—	18,00	29,33°
Aug. 9.	5,45 —	10	—	17,33	29,40°

Typhus.

Mensio VII.

Christianus Heinen, Gelsdorpianus, 18 a. natus, die XIV. mens. Iulii in nosoc. nostr. receptus iam ex sex diebus typho laboraverat.

Iul. 15.	10 a.m.	10	fovea axil.	17,30	31,33°
— 16.	2,15 p.m.	—	—	18,00	32,50°
— 17.	2,30 —	—	—	18,2°	32,00°
— 19.	2,15 —	—	—	17,50	31,20°
— 25.	10,30 a.m.	—	—	17,25	30,00°
Aug. 10	2,20 p.m	—	—	18,00	31,20°
— 16.	8,30 —	—	—	15,50	32,00°

Adnot. Mensio ultima instituebatur sex horas ante mortem.

Mensio VIII.

Maria Schaefer, ancilla, 26 a. nata ex circa septem diebus typho laborat.

Quo die	Quota hora	Quam diu	In qua corporis parte	Calor	
sit observatum.				aëris atmosphaerici.	partis, de qua quaeritur.
Oct. 1.	3,20 p m.	10	fovea axil.	18,00	31,80°
— 2.	2,5 —	—	—	18,25	31,80°
— 3.	10,30 a.m.	—	—	17,50	31,30°
— 4.	10,45 —	—	—	17,53	31,00°
— 8.	2,25 p m.	—	—	18,00	30,50°
— 10	2, —	—	—	18,20	30,00°
— 13.	2,17 —	—	—	17,00	29,20°

Mensio IX.

Wilhelmus Salz, puer quinque annorum, per decem dies typho iam laboraverat.

Oct. 2.	6,10 p.m.	10	fovea axil.	16,33	31,25°
— 4.	5, —	—	—	16.00	30,33°
— 10.	11½ a. m.	—	—	16,50	30,00°

Mensio X.

Moritz, femina, circa 34 a. nata, typho ex septem diebus laboraverat. Mensionem ultimam feci 7 horas ante mortem.

Oct. 26.	2,5 p. m.	10	fovea axil.	16,25	31,60°
— 27.	7,10 a.m.	—	—	15,50	29,60°
— 28.	8.15 —	—	—	15,00	30,20°
Nov. 2.	8.20 —	—	—	15,20	30,33°
— 3.	7,10 p.m.	—	—	15,50	31,20°

Mensio XI.

Maria Moritz, 4 a. nata, typho ex duobus diebus laboraverat.

Quo die	Quota hora	Quam diu	In qua corporis parte	Calor	
s i t	o b s e r v	a t u m.		aëris atmosphaerici.	partis, de qua quaeritur.
Oct. 30.	8,5 a. m.	10	fovea axil.	15,25°	31,20°
Nov. 2.	8,30 —	—	—	15,20	31,00°
— 4.	8,10 —	—	—	16,00	30,50°
— 6.	8,10 —	—	—	16,20	29,70°

M o r b i l l i.

Mensio XII.

Iosephina Metzen, 9 annos nata, morbillis affecta erat. Quum primo calorem metirer, febris cruptionis vix finita erat.

Nov. 15	9,15 a. m.	10	fovea axil.	15,70	31,70°
— 16	9,40 —	—	—	15,50	31,25°
— 17	9,16 —	—	—	16,00°	31,00°
— 18	9,30 —	—	—	15,20	30,20°

Mensio XIII.

Wolfgang Chan, puer 8 annorum ex quattuor diebus morbillis affectus.

Nov. 15	9,30 a. m.	10	fovea axil.	15,50	30,70°
— 16	9,49 —	—	—	15,00°	30,20°
— 17	9,35 —	—	—	15,50°	29,70°

S c a r l a t i n a.

Mensio XIV.

Christina Pütz, 3 annos nata scarlatina afficiebatur. Calor, quo aegrota vexabatur, maximus est, quem in scarlatina inveni. Duodecimo die morbi oedema pulmonum et anasarca cutis se ostendebant. Haud ita multo post aegrota demortua. Primae tres mensurae in scarlatina, sequentes inter oedema factae sunt.

Quo die	Quota hora	Quam diu	In qua corporis parte	Calor	
sit observatum.				aëris atmosphaerici.	partis, de qua quaeritur.
Aug. 7.	6,10 p.m.	10	fovea axil.	17,20	32,25°
— 8.	4, —	—	—	16,50	32,00°
— 12.	3,15 —	—	—	16,25	30,25°
— 28.	4,30 —	—	—	16,33	31,20°
Sept. 4.	11,30 a.m.	—	—	16,00	28,00°

Mensio XV.

